

LVII. Hoc argumento Lorea convincitur ad dicendum, quod intentione incarnationis non solum Christus inventus fuit ut finis, connotando media in confuso, sed hoc medium determinate, scilicet remedium peccati, atque adeo illo deficiente, ex vi illius intentionis non veniret.

LVIII. Sed quis non videt hanc solutionem sustineri non posse, nisi ponendo antecedenter ad illam intentionem prævisionem peccati. Etenim vel Deus volebat Christum ut finem, connotando pro medio remedium peccati prævisi, vel non prævisi. Si prævisi, habemus intentum, quod præcessit actum intentionis prævisio peccati, ut posset connotare pro medio remedium illius; atque adeo cur etiam non potuit esse motivum intendendi talem finem, si quidem circumstantia passibilitatis proprie non erat medium, sed status ipsiusmet rei, quæ pro fine intendebatur? Nec explicari potest, quid ex parte ipsius finis determinate intendebatur taliter, quod ex vi illius infallibiliter connotaretur medium redemptionis, potius quam aliud medium; hoc etiam vix potest explicari in hac sententia, nisi ponamus determinatum motivum volendi talem finem, quod fuit remedium peccati, et motivum redimendi.

LIX. Si autem connotabat pro medio remedium peccati non prævisi, sequitur ut supra inferebamus, quod vel Deus determinabat remedium peccati si foret, sicut qui mitteret medicum pro vulneribus si fuerint; et tunc ex vi illius intentionis veniret, etiamsi peccatum de facto non poneretur: vel si Deus ponebat pro medio remedium peccati futuri de facto, si non erat jam prævisum, ex vi illius volitionis efficaciter, et infallibiliter erat prævidendum aut ponendum; et cum illa

voluntas intentionis non esset permissio, sed positivus actus, sequitur quod aliqua voluntas, quæ non est permissio haberet connexionem infallibilem cum peccato futuro, quod est Deum velle peccatum secundum se, saltem virtualiter.

LX. Bene video dici posse, quod illa voluntas non tenetur infallibiliter velle peccatum, sed permittere; nec haberet connexionem cum peccato, nisi mediante permissione, quia licet non permissionem, sed peccatum ipsum remediare vellet, non tamen tenetur Deus ex vi voluntatis redimendi, velle ipsam materiam redimendam formaliter, et immediate, sed mediate, scilicet mediante permissione. Et propterea dixi, quod haberet connexionem cum peccato saltem virtualiter, quia hoc ipsum est magnum absurdum ponere in Deo voluntatem talem, quod ex vi illius teneretur velle permissionem peccati. Unde actus illi, qui determinate, et essentialiter versantur circa peccatum, tamquam circa materiam, ut penitentia, et redemptio, non possunt esse directe intenti a Deo, ne ponamus in Deo voluntatem obligandi se ad permittenda peccata.

LXI. Qui tamen hoc devoraret, non video posse aperte convinci, quia ex hoc non sequitur Deum velle ipsum peccatum, quod est materia redimenda, sed solum velle permissionem materiæ redimendæ, quæ permissio infallibilem connexionem habet cum peccato, licet non causalitatem. Est tamen hoc contra ipsum ordinem naturæ, velle remedium malorum antequam sint mala, et ut sit remedium, obligare ad permittenda mala. Et semper urget illud, quod vix habet explanationem, unde voluntas intendens Christum ut finem determinare, potius hoc medium elegerit, quam aliud, supposito quod videbat Deus

ARTICULUS III.

Solvuntur argumenta.

pluribus mediis posse hunc finem consequi, nisi aliquod motivum habuerit volendi sic determinate finem, quod tale determinaret medium.

LXII. Nisi dicatur, quod pro sua voluntate voluit tantum sic diligere finem, inclinando ad hoc medium redemptionis, quod non ad aliud. Sed nos non inquirimus de hoc universali motivo, quod est voluntas Dei, sed de motivo proximo, quod habuit hæc voluntas, explicato nobis in Scriptura, quod fuit propter nostram salutem; ad hoc enim ipsum, quod est velle hunc finem tali determinatione, quod connotaret hoc medium potius quam aliud, oportet assignare motivum determinatum, et consequenter aliqua ratio concernens ordinem a peccato, debet intervenire in intentione talis finis sub habitudine ad tale medium, quod est redemptio a peccato.

LXIII. Velle autem remedium peccati ante peccatum, sicut velle penam ante culpam, est dicere, quod pena est ex primaria intentione, et tam efficaciter volita, quod ex vi illius voluntatis tenetur Deus permittere mala; quod est facere Deum summe crudelem, intendendo penam ut penam ex primaria intentione; sicut medicinam, ut medicinam ante morbum. An vero Deus in illo ordine providentiæ generalis, antecedenter ad decretum prædestinationis, præviderit omnia naturalia in individuo, et omnia peccata, quæ modo existunt, cum multa pendeant ab ipso Christo, et ejus incarnatione, disquirendum est in solutione argumentorum.

I. Primo, arguitur argumento Scoti, ut proponitur a Vazquez disp. XI, capite ultimo: Quicumque ordinarie volens, prius vult finem, deinde media; et inter ipsa media, prius vult id, quod est propinquius fini, quam quod minus propinquum, sed incarnatio Christi est propinquior fini universali quam redemptio hominum; ergo prius voluit incarnationem, quam redemptionem.

II. Secundo, arguitur argumento ipsius Scoti: Inter prædestinatos, quibus Deus vult gloriam ordinate, prius vult gloriam illi, quem vult esse proximum fini; ergo prius vult gloriam animæ Christi, quam aliqujus alterius, sed aliis prius vult gratiam, et gloriam quam prævideat oppositum gratiæ, et gloriæ, quod est peccatum, et damnatio; ergo de primo ad ultimum prius vult animæ Christi gloriam, quam prævideat Adam. Confirmatur, quia non est verisimile tam summum bonum, sicut est incarnatio esse occasionatum propter minus bonum, et quod prius præordinasset Adam ad tam summum bonum, quam Christum Dominum.

III. Tertio arguitur: Christus est primus omnium prædestinatorum, tam hominum, quam Angelorum, juxta illud: *In capite libri scriptum est de me: et est caput omnis Ecclesiæ et finis omnis creaturæ; dicitur enim: Primogenitus omnis creaturæ, et omnia sunt ei subjecta: et: Quod ipse est propter quem omnia,* ad Heb. II: et: *Quod est in omnibus primatum tenens,* ad Colossenses I; ergo nulla creatura est efficaciter decreta ante Christum, nec ullus Angelus prædestinatus

ante Christum; si quidem finis ordinatio præcedit voluntatem omnium, quæ ordinatur ad finem; ergo neque est prævisus homo, ut in executione creatus, et peccans antequam in executione prævideretur Christus ut finis, sic enim Christus non esset in omnibus primatum tenens.

IV. Ex his confirmatur, quia peccatum hominis non est prævisum ante beatitudinem Angelorum, sed post; ergo si Christus est prædestinatus post prævisionem peccati hominis, etiam est prædestinatus post prævisionem beatitudinis Angelorum; atque adeo non fuit Christus primus prædestinatus. Antecedens probatur, nam peccatum hominis fuit prævisum eo modo, quo fuit executum in re: fuit autem executum ex suggestione dæmonis; ergo prævidebatur dæmon suggerens. Sed diabolus, quando incitavit ad peccatum, jam supponebat alios Angelos beatos, si quidem in instanti, quo ipse peccavit, alii Angeli confirmati sunt in bono non peccantes, et consequenter finita est statim via illorum, ita quod quando diabolus est damnatus, Angeli fuerunt glorificati; si ergo quando diabolus incitavit ad peccatum ipsum hominem erat damnatus, alii Angeli erant jam glorificati, fuit ergo in illo statu innocentie vera prædestinatio Angelorum ante peccatum hominis, et consequenter ante prædestinationem Christi, quod non est salvare ipsum esse primum prædestinatum.

V. Quarto arguitur: Si prævisus est ante incarnationem Christi homo lapsus, consequenter visi sunt omnia peccata actualia; tum, quia ex originali oriuntur; tum, quia pertinent ad ordinem nature; tum, quia propter illa redimenda Christus venit, et consequenter debuerat præcedere ejus prædestinationem;

aut si non præcesserunt, inefficax est argumentum, quod debuit præcedere peccatum originale: etenim eadem ratio de illo, ac de omnibus aliis, quæ Christus venit redimere; sed multi homines, et multa peccata ante Christum non potuerunt prævideri; ergo. Minor probatur, nam multi homines non nascuntur nisi ex merito Christi, utpote per miraculum geniti; multa ergo peccata fuerunt erga Christum, ut peccatum blasphemantium, et crucifigentium Christum; ergo illi homines, et ista peccata non potuerunt prævideri ante Christum: ergo non fuit necesse, quod omnia peccata redimenda præviderentur ante redemptionem.

VI. Confirmatur, quia Deus nullum permittit malum, nisi propter majus bonum inde eliciendum; ergo prius debet esse volitum tale bonum in genere causæ finalis, quam permissum tale malum: sed peccatum Adæ est permissum, ut ex illo eliceretur tam grande bonum, sicut est incarnatio; ergo oportuit quod incarnatio præcederet permissionem peccati in genere causæ finalis; ergo antecessit etiam prævisionem ipsius, quia prævisio a promissione dependebat.

VII. Quinto arguitur: Quia gratia prout in statu innocentie respiciebat Christum tamquam caput, et influentem illam gratiam; ergo etiam prout in statu innocentie erat Christus finis illius gratiæ, et consequenter in ordine intentionis prior fuit Christus quam status innocentie; ergo in eodem genere fuit prior, quam prævisio peccati. Antecedens probatur: In eo statu Adam fuit justificatus ex fide Christi cogniti ab ipso, ut consummatoris gloriæ juxta doctrinam S. Thomæ; ergo fides Christi fuit influens in illam justificationem; ergo et Christus cujus erat fides; et consequenter

ter Christus solum quoad substantiam fuit finis illius gratiæ pro illo statu.

VIII. Confirmatur: Deus non solum revelavit motivum incarnationis fuisse redemptionem hominum; ergo ex vi revelationis non potest colligi Deum propter istam solam causam venturum. Consequentia patet, quia tota ratio propter quam dicit S. Thomas Christum non venturum, nisi homo peccasset, est quia non possumus scire voluntatem Dei, nisi ipse revelet, quæ revelatio ubique manifestat nobis Deum venisse propter salutem hominum; ergo si alibi Deus revelavit se venturum non ob istam causam, totum hoc fundamentum ruit. Antecedens probatur in revelatione facta Adam de Christo venturo, nam ipse etiam in statu innocentie cognovit Christum, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. 1, art. VIII, tamquam consummatorem gloriæ; ergo cognovit motivum aliquod veniendi Christum ex vi illius revelationis, et sic non ubique revelata est tamquam causa redemptio peccati. Quod si Adam non omnia motiva revelata sunt, similiter dicemus, nec nobis omnia motiva esse revelata; et sic nutat undique fundamentum S. Thomæ.

IX. Sexto arguitur ex Lorea: Nam si Christus non fuit prædestinatus, nisi ex motivo peccati; ergo prius voluit redemptionem hominum, quam incarnationem Christi, si quidem propter illam voluit Christum; ergo illa voluntas prior redimendi hominem non fuit per Christum, et ex meritis Christi, sed antecessit ejus merita. Sed illa voluntas redimendi et liberandi a peccato fuit voluntas justificandi homines, et consequenter dandi illis gratiam, saltem quoad sufficientiam; ergo jam non omnis gratia quoad sufficientiam fuit hominibus data per Christum; nam

illa secunda voluntas volendi redimere homines, et liberandi a peccato, quæ fuit magna gratia, non fuit per Christum, si quidem antecedit illum.

X. Et confirmatur, quia Concilium Tridentinum sess. VI, can. VII absolute docet: « Causam finalem nostræ justificationis esse gloriam Dei, et Christi. » Et loquitur de omni justificatione in universum; ergo gloria Christi fuit prius volita nostra justificatione, et consequenter nostra redemptione; nam redemptio justificatione est. Nec potest justificatio esse propter gloriam Christi, et non redemptio. Si autem gloria Christi fuit prius volita, a fortiori incarnatio, sine qua non datur Christi gloria.

XI. Ultimo arguitur: Si nulla fuit prædestinatio ante prævisum peccatum Adæ ex vi decretorum, quæ nunc sunt; ergo ex vi talium decretorum, si Adam non peccasset, nullus esset prædestinatus, quia prædestinatio facta est per Christum, et Christus venit peccante Adam, et consequenter est concedendum, quod si non peccaret Adam, ex vi præsentis decreti nullus salvaretur, aut salvaretur sine prædestinatione, et utrumque satis est absurdum.

XII. Confirmatur: Nam impossibile est, quod gratia illius status non fuerit effectus prædestinationis; ergo supposuit prædestinationem ante peccatum. Antecedens probatur, nam illi gratiæ numero habitæ in statu innocentie correspondet modo gloria in cælo; ergo fuit effectus prædestinationis. Si dicatur fuisse effectum prædestinationis ut reparata, non ut pertinens ad statum innocentie, contra est, quia merita quando mortificantur, solum habent obstaculum peccati, manent autem in acceptione divina, et remoto obstaculo dicuntur revivis-

cere, quia ex illa acceptatione, in qua erant, perveniunt ad suum effectum obstaculo remoto: ergo si in illa acceptatione divina, quando erant mortificata, non habebant efficaciam perducendi ad gloriam, per hoc solum quod peccatum tolleretur per Christum, non acceperunt efficaciam assequendi gloriam, quia non acceperunt nisi illam, quam antea habebant; ergo si ante non habebant ordinationem efficacem ad gloriam, neque remoto peccato habebunt.

XIII. Ad primum, relicta solutione Vazquez, qui dicit redemptionem fuisse volitam ut finem incarnationis; licet enim incarnatio sit nobilior redemptione, non tamen semper est prius in volitione nobilior medium, sed utilius, seu congruentius fini; hac, inquam, solutione relicta, quia redemptio, prout in nobis, est effectus incarnationis, et consequenter non posset esse finis causa, seu finis cujus gratia, sed finis effectus, qui est posterior causa, respondetur, quod licet redemptio hominum non fuerit finis cujus gratia, fuit tamen effectus ipsius incarnationis. Finis autem cujus gratia fuit gloria Dei manifestanda per viam misericordiae, et justitiae, unde quia incarnatio valebat ad hunc effectum manifestandi misericordiam, et justitiam in redemptione hominum motivum volendi incarnationem fuit, non ipsa incarnationis dignitas absolute, sed ipsa incarnatio ut valens ad talem effectum.

XIV. Et ita quando dicimus redemptionem esse motivum incarnationis, non facimus sensum præcisivum redemptionis ab incarnatione; sed sensus est, quod incarnatio ut redemptiva, seu ut valens ad redimendum est motivum volendi illam, et non ipsa substantia, seu dignitas incarnationis secundum se. Sicut

quando dicimus unumquodque esse propter suam operationem, non est sensus præcisivus, sed quod est propter seipsam ut operantem, et sic dixit D. Thomas 1-2, quæstione XII supra citata: « Quod hoc ipsum quod est aliquid valere ad plura, est ratio eligendi illud. » Cum ergo incarnatio in se ipsa absolute plurimum valeat, et ad plures effectus, quorum unus est redemptio, dicimus nos redemptionem per seipsam, et separatam ab incarnatione, sed incarnatio ipsa ut valens ad effectum redemptionis, et non absolute.

XV. Et ita ad argumentum in forma: Ordinate volens, prius vult finem, quam media, concedo; et inter ipsa media prius vult, quod est propinquius fini, distingo; quod est propinquius fini absolute, et in essendo, nego. Propinquius in movendo, et attingendo finem, concedo; incarnatio est propinquior fini, quam redemptio, distingo; incarnatio ut redemptiva, et ut involvens istum effectum redemptionis, concedo; ergo prius est volita incarnatio, quam redemptio. Nego consequentiam, quia motivum volendi substantiam incarnationis fuit, quia valebat ad redemptionem.

XVI. Ad secundum ex supradictis respondetur inter prædestinatos prius Deum voluisse gloriam Christo, et ejus incarnationem, quam aliis prædestinatis, secundum rationem prædestinationis, quia hoc pertinebat ad ordinem decreti efficacis. Et quando dicitur, quod aliis prius vult gratiam, et gloriam, quam ejus oppositum, scilicet peccatum, et damnationem, respondeo prius velle gratiam, quam peccatum in eo genere, et ordine, quo gratia, et peccatum considerantur, et non alio modo; ita quod si vult gratiam dare ex vi generalis providentiæ tantum, prius intelligatur gratia, quam pec-

catum in ordine providentiæ generalis: non tamen est necesse, quod prius intelligatur gratia data ex vi prædestinationis, ut intelligatur peccatum; nec enim semper gratia datur ex vi prædestinationis, et decreti efficacis. Unde non sequitur, quod velit Deus incarnationem, et gloriam Christi ante omnem gloriam, sed ante gratiam prædestinationis; non tamen ante gratiam datam per providentiam generalem, sed post illam, et similiter post peccatum illi oppositum in eodem genere.

XVII. Ad confirmationem respondetur non esse inconueniens, quod bonum incarnationis sit occasionatum ratione minus boni, quia ut docet D. Thomas in hoc articulo, solutione ad tertium: « Nihil prohibet ad aliquid majus humanam naturam perductam esse post peccatum; Deus enim permittit mala fieri, ut inde eliciat aliquid melius. » Sic ergo dicimus, quod ly esse occasionatum, potest dupliciter intelligi: uno modo quasi solum per accidens, et ex quadam occasione volitum; et sic est falsum, quia incarnatio fuit volita propter ostensionem divinæ gloriæ in attributo justitiæ, et misericordiæ, quod dicebat ordinem ad redemptionem peccati, tamquam ad materiam, in qua id erat exercendum, et sic non fuit per accidens, et occasionaliter solum volita incarnatio: alio modo ly occasionatum potest intelligi, quod aliquo præsupposito tamquam materiali incarnatio volita fuerit; et sic non est inconueniens esse volitam præsupposito peccato, quia volita est ut redemptiva.

XVIII. Et præterea licet aliqua, quæ sunt volita præsupposito peccato, ut pœna seu punitio, sint solum occasione volita, tamen incarnatio non sic, sed præsupposito peccato, ut materia redemptionis, ut volita ut finis totius creaturæ,

quia incarnatio erat reparativa, non punitiva. Nec Adam prius ordinatus est ad finem gloriæ, seu ad bonum gloriæ efficaciter, quam Christus, licet prius acceperit gratiam secundum providentiam generalem.

XIX. Ad tertium respondetur duplicem ibi insinuari difficultatem; altera quomodo Christus sit finis omnis creaturæ: altera quomodo sit primus prædestinatus, etiam respectu Angelorum. De quo agi solet infra quæst. VIII, articulo. IV, et quæst. XXIV. Et quidem Christus est finis omnis creaturæ, etiam quoad essentialia, non absolute sed cum ordine ad reparationem; sicut omnes creaturæ ordinantur ad prædestinatos, et omnes prædestinati ad Christum; unde est finis reparans creaturam, non finis absolute. Et sic distinguuntur dona gratiæ, ut reparatoris, et ut creatoris; et dona creatoris ut esse, intelligere, etc. non sunt per Christum, sed dona, quæ sanant naturam; et sub ista habitudine res creatæ referuntur ad Christum ut finem, et ideo non est necesse, quod Christus ut finis præcesserit in intentione omne esse naturale creaturarum absolute, et ut pertinet ad ordinem providentiæ generalis, sed solum ut ordinabilis ad reparationem.

XX. Quod attinet autem ad prædestinationem Christi comparative ad prædestinationem Angelorum, duplex est sententia. Aliqui enim dicunt Angelos, non solum gloriam accidentalem, sed etiam essentialem habuisse per Christum, et consequenter fuisse absolute primum prædestinatum, tam respectu hominum, quam Angelorum; sed quoad essentialia gloriam, alii dicunt gloriam essentialia non habuisse Angelos per Christum, bene tamen accidentalem; et ita fuisse caput ipsorum non solum quoad auctoritatem, sed etiam quoad influxum in ipsos